

inter eam & laurum folij magnitudine, figura uero & mollitia punica, flore candidiore, statim pestem denūcians. Fert siliquas sesami similes, intus granum quadrangula figura, spissum, letale animantibus: nec non & in folio eadem uis. Succurrit aliquando præceps alui exinanitio. Alexander Cornelius arborem eonem appellauit, ex qua facta esset Argo, similem robori uiscum ferenti, quæ nec aqua nec igni posset corrumpi, sicuti nec uiscum, nulli alij cognitam, quod equidem sciam. Adrachnen omnes fere Græci portulacæ nomine interpretantur, cum illa sit herba, et andrachne uocetur, vnius literæ diuersitate. Ceterum Adrachne est syluestris arbor, neque in planis nascens, similis unedomi, folio tantum minore, & nunquam decedente: cortice non scabro quidem, sed qui circumgelatus uideri possit: tam tristi aspectu est. Similis & coggygia folio, magnitudine minor. Proprietatem habet fructum amittendi lanugine (pappum uocant) quod nulli alij arbori euenit. Similis & aphaerce, bifera æque quàm adrachne. Priorem fructum incipiente pubescere uia peragit, alterum initio hyemis: quales eos, non traditur. Et ferulam inter externas dixisse conueniet, arborumque generi adscripsisse, quoniam quarundam naturæ (sicut distinguemus) lignum omne corticis loco habent, hoc est forinsecus, ligni autem loco fungosam intus medullam, ut sambuci: quædam uero inamitatem, ut harundines. Ferula calidis nascitur locis atque trans maria, geniculatis nodata scapis. Duo eius genera: Nartheca Græci uocant, assurgentem in altitudinem, Nartheciam uero semper humilem. A genibus exeuntia folia maxima, ut quæque terre proxima. Cetero natura eadem, quæ anetho, et fructui similis. Nulli fruticum leuitas maior: ob id gestata facilius baculorum usum senectuti præbet. Semen ferula, tapsiam quidam uocauerunt: decepti eo, quoniam ferula sine dubio est thapsia, sed sui generis, folijs fœniculi, inani caule, nec excedente baculi longitudinē. Semen quale ferula, radix candida. Incisa lacte manat, & contusa succo: nec corticem abdicant, omnia ea uenenata. Quippe etiam fodientibus nocet: si minima aspiret aura, intumescunt corpora, faciemque inuadunt ignes sacri: ob id cerato prius illinunt. Quibusdam tamen morbis auxiliari dicunt medici, permixtam alijs. Item in alopecijs sugillatisque ac liuentibus: ceu uero remedia desint, ut scelera contractent. Sed ista prætexunt noxio instrumento: tantumque impudentiæ est, ut uenenum artis esse persuadeant. Thapsia est in Africa uehementissima. Quidam caulem incidunt per messes, & in ipsa excauant radice quo succus confluat, arefactumque tollunt, alij folium. Radicem tundunt in pila, & succum in sole coactum diuidunt in pastillos. Nero Cæsar claritatem ei dedit initio imperij, nocturnis grassationibus conuerberatam faciem illinens sibi cum thure ceraque, & secundo die contra famam cutem synceram circumferens.

Ignem ferulis optime seruari certum est, easque in Aegypto præcellere.

De capparisi uel cynosbato, aut opheostaphyle, & de sari. CAP. XXIII.

Ibi & capparisi, firmioris ligni frutex, seminisque & cibi uulgati, caule quoque una plerumque decerpto. Cauenda eius genera peregrina. Siquidem Arabicum pestilens, Africum gingiuis inimicum, Marmaricum uuluis, & omnium inflationibus. Apulum uomitus facit, stomachum & aluum mouet. Quidam eum cynosbaton uocant, alij opheostaphylen. Fruticosi est generis & sari, circa Nilum nascens duorum cubitorum altitudine, pollicari crassitudine, coma papyri, similique; mādatur modo, radice ferrarijs officinis præcipua, carbonis usu propter duritiam.

De spina Babylonis regia, & de cytiso. CAP. XXIII.

Non omittendum est & quod Babylone seritur in spinis, quoniam non alibi uiuit, sicut & uiscum in arboribus: sed illud in spina tantum, quæ regia uocatur. Mirum quod eadē die germinat, qua iniectum est. Inijcitur autem ipso canis ortu, & celerrime arborem occupat. Condiunt eo uina, et ideo serunt. Spina illa nascitur & Athenis in longis muris. Frutex est et cytisus, ab Aristomacho Atheniensi miris laudibus prædicatus pabulo ouium, aridus uero etiam suum: spōdetque; iugero eius annua H-S.M.M. uel mediocri solo redditus. Vtilitas quæ eruo, sed ocycor satietas, perquam modico pinguescente quadrupede, ita ut iumenta hordeum spernant. Non ex alio pabulo lactis maior copia aut melior, super omnia pecorū medicina à morbis omni usu præstante. Quin & nutritibus in defectu lactis aridum, atque in aqua decoctum, potui cum uino dari iubet: firmiores celsioresque; infantes fore. Viridem etiam gallinis, aut si aruerit, madefactum. Apes quoque nunquam defore cytisi pabulo contingente, promittunt Democritus & Aristomachus. Nec aliud minoris impendij est. Seritur cum hordeo, aut uere semine ut porrum, uel caule autumnino ante brumam. Si semine, madidum. Et si desint imbres, satum spargitur. Plantæ cubitales seruntur scrobe pedali. Seritur post æquinoctia tenero frutice. Perficitur triennio. Demetitur uerno æquinoctio cum florere desinit, uel pueri uel anus uilissima opera. Canis aspectu, breuiterque si quis exprimere similitudinem uelit, angustioris trifolij frutex. Datur animalibus post biduum semper. Hyeme uero quod inaruit, madidum. Satiant equos denæ libræ, & portione minorum animalia: obiterque inter ordines allium & cepe seri fertile est. Inuentus hic frutex in Cythno insula, inde traslatus est in omnes Cycladas, mox in urbes Græcas, magno casei prouentu, propter quod maxime miror rarum esse in Italia. Non æstuum, non frigorum, non grandinum aut niuis iniuriam expauescit. Adijcit Hyginus, ne hostium quidem, propter

p ij nullam